

F. K. 87.

Z c  
12/13

# EPISTOLA

QUA DOLOREM  
PERILLUSTRIS EXCELLENTISSIMI AC  
GENEROSISSIMI

# DOMINI VVOLF. GOTT- HARD BIRCKHOLTZ

*DYNASTAE CLIENTELAE MARSCHVITZ*  
POTENTISS. POLON. REGIS ET ELECTOR. SAXON.  
CONSILIARII ET CURIAE PROVINCIALIS MISNENSIS QUAE  
VVURCENAE EST CANCELLARII GRAVISSIMI SCHOLAE  
PROVINCIALIS GRIMENSIS EPHORI  
SPLENDIDISSIMI

*DE OBITU PRAEMATURO  
GENEROSI OMNIBUSQUE INGENII ET VIRTUTIS ORNAMENTIS  
PRAEDITINEPOTIS*

# JOANN. CAROLI GUSTAVI A KIRCHBACH

*FERIA I. PENTECOSTES MDCCXXIV. GRIMAE PLACIDE DEFUNCTI  
CONCEPTUM*

*SOLATIO LEVARE CONTENDIT*

M. HENRICUS AUGUSTUS SCHUMACHERUS

GYMNAS. GRIMENSIS CON-RECTOR.

GRIMAE LITERIS CHRISTIANI VOGELII





PERILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIME  
DOMINE,  
PATRONE SUMMOPERE OBSERVANDE,



Uemadmodum omni fere hominum aetati triftis & acerba fuorum accidit jactura, praefertim cum probitate, eruditione, morumque fva vitate, generis splendorem tueri & conſervare aui ſint; ita nemini mirum videri debet, Viros, aetate graves, & meritorum gloria excellentes, liberorum & nepotum obitum vehementer deplorare, eosque unice deſiderare. Cum enim ſecum reputant, quod aetate grandes, viribus que infirmi, non adeo multos adhuc annos lucis uſura frui poſſint, multum delectationis & dignitatis ſe exinde percepturos ſperant, ſi vivam fui imaginem relinquunt, & tales ſuperſtites videant, quales ipſi ſunt, & olim fuerunt. Sic gentis ſuae gloriam, & firmum domus ſulcrum ſe habere exiſtunt, quo poſteritas niti, & familiae dignitas conſervari queat. Quod ipſum in Romana quondam gente celeberrima Cornelia, Gracchorum mater, optime cognovit, quae cum omnia ornamenta, ſeculo illo pulcherrima, ab aliis demonſtrata videret, ſolos liberos parentum ornamenta eſſe iudicavit, id quod Valerius Maximus non ſine laude ejus commemorat. Quo magis avis & parentibus ſui liberi & nepotes, nominis avi heredes, placent, quibus, auctore Tullio, nihil natura jucundius, nihil ſuavius, eſſe voluit, tanto acerbior contra eorum contingit jactura, qui generoſa ſtirpe digni fuerunt, egregiamque indolem oſtendentes magnam ſpem futurae felicitatis promiſerunt. Quae cum veritati conſentanea ſint, quis eſt, *Perilluſtris ac Excellentiffime Domine*, quis eſt, inquam, qui Te reprehendat, aut moleſte ferat graviffimum Tuum dolorem, quem ex praematurato obitu optima in indolis, ſummaeque ſpei Generoſi Nepotis, *Johannis Caroli Guſtavi a Kirchbach*, bonarum artium & linguarum in Gymnaſio noſtro ſolertiſſimi cultoris, percepiffi? Hoc certe dolore maximo ſuperiora Tua vulnera, quae longinquitate temporis vix fanata ſunt, recideſcent omnia, & ita quidem augentur, ut verendum ſit, ne plane Te conſiciant atque perturbent. In recenti omnes adhuc memoria tenemus, ut de reliquis nihil dicam, obitum generoſiſſimi Domini fratris germani, *Georgii Dieterici a Birkholz*, Potentiſſimi Regis Poloniae & Eleſt. Saxoniae Legati militaris, prudentia & fortitudine inſignis, cui Feria II. Paſchatis nuper deſuncto non ſine lacrimis juſta perſolviffi. Quo ſupremae pietatis officio vix peracto, novus ſubinde emergit dolor, nec longo intervallo ſequitur alia miſeria aliam, & velut in communi luctu Te tangit, Tuamque illuſtrem domum metu percellit. Magnam quidem animo Tuo laetitiaſſiam conceperas, his diebus feſtis Pentecoſtalibus politiſſimum nepotem Tuum in praedio Marſvicenſi ſalvum incolumemque videre, eumque in amplexu optimorum parentum, Selcka eo venientium, deducere, ut jucundiſſimo filii aſpectu fruereſſent, & non minus ſermonum ſuavitatem, quam veris amoenitate, in hoc ſecluſu recrearentur. Ipſe nepos deſideratiſſimus prae nimio gaudio vix exſpectare gratiſſimum illum diem poterat, quo ex voluntate Tua dilectiſſimos parentes, Nobiliſſimum Dn. avunculum, & ſororem unicam, intueri & alloqui ſperabat. Sed longe aliter ſupremo rerum omnium Moderatori viſum eſt, qui

qui animum beate defuncti, optimorum parentum desiderio flagrantem, in aeternam sedem evocare, sanctorumque omnium consortio & conspectu exhilarare voluit. Ita enim lolet pro sua sapientia hominum saepe spem & laetitiam praecidere, multoque melius consulit & agit, atque cogitant mortales, cum bonae indolis liberos, Parentibus non sine laetitia ad tempus commodatos, brevi repetit & reposcit, ut aperte satis ostendat, voluptatis, quam exinde capiunt parentes, modum adhibendum esse, simulque intelligant, se his, non tantquam suis bonis, sed pignori datis, aliquamdiu frui posse. Agit proinde cum suis velut creditor, jubeatque, ut aequo animo reddantur ea, quae per breve temporis spatium custodienda tradidit, non quasi cupiat, ut pereant, quae repetit, sed ut omnes discant, a quo sua bona acceperint, nec tamen ideo, cum praeter opinionem amittunt, ad desperationem adducantur. Quod si vota quicquam valuissent, omnes ac singuli cum generosissimis Parentibus, totaque illustri domo, precari essemus, ut tantae spei juvenem, non gloria tantum majorum, & antiquitate generis insignem, sed pietatis, obsequii, industriae, modestiae, ac patientiae laudiflorentem retinuissemus. Sicut enim praecipua hominis adolescentis commendatio a vera proficiscitur pietate, quae omnis felicitatis fons & origo est: ita hujus in primis studiosus erat nepos Tui optimus, nullamque facile horam praetermitterebat, qua non officii sui memor supremo Numini cultum praefaret, omnesque pii hominis partes expleret. Legere enim divina oracula, recensere ex S. Codice Historias, esse in templo, versari inter pios, sacris hymnis divinum nomen celebrare, & preces pro studiorum incremento, pro optimorum parentum felicitate, suaeque coelesti & terrena salute, ad Deum fundere, una illi & perpetua erat voluptas. Ex quo virtutum omnium fundamento, pietate, multae aliae, perenni quasi fluxu, promanarunt, quae in tenebris latere non poterunt, sed omni occasione & loco proruperunt. Saepe ego, & publice, & privatim, obsequium generosi hujus adolescentis probavi, quo ad nutum & voluntatem Praeceptorum se accommodabat, & ita morem gerebat, ut nihil quicquam invito & inolesto animo, quod faciendum erat, sed libens volensque, ageret. Cum enim, auctore doctissimo Edmundo Richerio, universae virtutis causa & principium sit, si adolescentes ab incunabulis statim recte parente & obsequi discant, id praecipue agebat beate defunctus nepos, ut hac virtute suis se Doctoribus commendaret. Quo deum factum est, ut omnium expectatione se dignum praefaret, aliorumque amorem sibi conciliaret, & conciliatum perpetuo conservaret. Imitabatur hac in re Alcibiadem, Atheniensium Imperatorem clarissimum, qui hominum studiis rite inserviens effecit, ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur, omnibusque carissimus haberetur. Eadem fere mente florentissimus noster Kirehbachius erat, qui officio suo optime defunctus dicto audiens praceptoribus suis nihil quicquam, quod moleste ferebant, suscipiebat, quo ipso primus inter omnes & praecipuus habitus est. Quid dicam de singulari ac eximia hujus nobilis in studiis solertia ac sedulitate? Hanc magna cum delectatione & gaudio in lectione publica subinde apexi, & coram domi expertus sum. Saepius mecum cogitavi, & anceps dubiusque haesi: utrum major ipsi nobilitas exnascendi forte, quae illustris est, an ex studendi & legendi assiduitate, aliquando accessura sit, eo quod ardor ejus discendi nulla rerum mole deprimi, & nulla vel argumenti, vel auctoris difficultate, impediri poterat? Doctrinae elegantioris suavitate ita capiebatur, ut ingenae profiteretur, se ea satiari non posse, nec laboris unquam eum taedebat, sed omne fastidium aequo animo ferebat, ut animum scientiis imbueret, quarum maxime cupidus erat. Sive enim publicam audiret in Gymnasio lectionem, audiendi admodum studiosus erat, & nihil quicquam, quod notatu dignum, negligebat, sive domi privata industria audita repetenda, & in futurum usum recondenda essent, se semper assiduum praeflabat, more apum, quae ex floribus optimis mel suum colligere student. Imitabatur proinde Tuam, *Perillustri Domine*, agendi rationem, per cujus vestigia incedere optabat, non, ut multi solent, qui vanis futilibusque sermonibus duntaxat se oblectant, seriis vero & arduis rebus, laboris impatientes, diu intenti esse non possunt; sed ex optimis seculi aurei Auctoribus exempla fortunae, & honestae laudis incitamenta, & vitae civilis momenta, diligentissime observabat, & variam exquisitamque rerum notitiam sibi comparabat. Quo ipso palam faciebat, quale quantumque decus illustri genti ab eo aliquando expectandum fuisset. Tacitus jam praetereo multa industriae specimina, quae publice & privatim elaborata exhibuit, mox ligata, mox profa oratione, quorum postremum fuit id, quod in natali Tuo laetissimo, de divino placidae senectutis beneficio, non ita pridem conscripsit. Ut igitur nihil quicquam in hoc studiorum cursu remoram ei injiceret, omnes quoque cupiditates, quae mentis aciem obtundunt, planeque hebetant, averfabatur & lubricae aliquin aetatis licentiam longissime a se removebat, suaeque conditione, loco, & ordine, indignam esse existimabat. Neque minus modestiae omni tempore studebat, ad se quos in Alumnorum coetu hac virtute praeditos videbat, plurimum amabat, & crebro ad se invitabat, ut eorum commercio ac colloquio subinde frueretur. Quam vivendi rationem

X 3617538  
VD18

Ze 1213. FK.

in quotidiano convictu, in congressibus scholasticis, omnibusque vitae partibus demonstrabat,  
& temper sui similis nunquam ab instituto semel proposito recedebat. De patientia ejus in  
adversis multa dicere possem, si temporis ratio permitteret, qua omnem fortunam ita  
ferebat, ut adolescentiori aetate virile aliquod praese ferre videretur. Si quid enim in vita  
triste & durum eveniret, animo semper constanti erat, & divino fretus auxilio non despe-  
rabat; sed meliora fata, in gravissimo etiam, quo ultima vice premebatur, morbo sibi pro-  
mittebat. Hujus optimi & florentissimi juvenis jactura si ope & auxilio hominum sarciri  
posset, *Perillusis Domine*, nullus dubito, quin parentes molestissimi omnem dolorem modera-  
tius ferrent. Et licet *Patris Generosissimi* se mortalem genuisse sciat, nec subitus &  
repentinus in vita humana casus ignoret, quibus Reges & Principes, alique viri & juvenes,  
opibus pollentes, obnoxii sunt; vix tamen habebat, quo se primis statim diebus confirmare  
ac consolari posset, cum bona indole, pietate singulari, animo satis obsequenti, & doctrinae  
studii florentem filium praeter spem praeripi sibi, & nobilissimae familiae subtrahi, & divelli  
propius videret. *Mater* optima, filia Tua, pietate, sapientia, animique castimonia, com-  
mendatissima, filium unicum, togae studiis consecratum, verbis fletu & singultu commixtis  
vehementer desiderat, quem ne gestibus quidem pietatem in parentes laesisse novit. Nolo  
in praesentia Tuum repetere dolorem, *PATRONE MAXIME*, quem ut domi, ita Feria II.  
Pentecost, Grimam adveniens de obitu pii hujus, obediens, & diligentis nepotis declarabas. Sed  
quid juvat deplorare jacturam illius, qui in hanc vitam, Deo repugnante, revocari non potest?  
quid prodest lacrimis eum desiderare, qui ab hac terra recessit, ut maximas & perpetuo  
duraturas coeli divitias complecteretur, &, relicta Schola inferiori, coelesti Academia  
frueretur? Dura quidem fata sunt, quae Parentes nobilissimi in duobus filiis natura,  
doctrina, & moribus, simillimis experti sunt. Tribus enim abhinc annis *Ioannem VVolf-  
sum*, natu majorem, in disciplina nobilium militari Marpurgi Cattorum ius temporibus ver-  
santem, eodem decimo septimo aetatis anno, eadem Feria I. Pentecostes, & eodem fere  
morbi genere, quo natu minor, *Ioannes Carolus Gustavus*, jam ereptus est, amiserunt.  
Quae cum in novo hoc luctu & dolore dento secum reputant, calamitate maximam oppressi jacent, &  
soluta vix admittunt. Id quidem fatentur, per omnes fere dies juvenes mori, eorumque obitum ae-  
quiori ferendum animo, qui nullam futurae felicitatis spem praebent; at pios, obsequentes,  
& in herba prope maturitatem consecutos mori, id vero paucis usu venire, altissimumque  
vulnus in omnium animis relinquere. Sed cum satis lacrimarum in gravissimo hoc dolore  
effuderunt, tandem tamen considerent oportet, quod *DEUS* O. M. illos liberos, quos cario-  
res habet, eo citius repetat, & velut Imperator, data militiae vacatione, dimittat, ac libe-  
ret, & in coetum & numerum coelitem transferat, ut vinculis corporum soluti, omnibusque  
miseriis liberati, nulla re egeant, nullisque molestiis opprimantur aeterno gaudio recreati.  
Votis igitur, quibus par est, ex animo opto, ut fumus rerum humanarum Moderator  
Parentibus optimis acerbi hujus vulneris sanandi facultatem concedat, eisque in memoriam  
revocet, non casu, sed divina voluntate ac arbitrio filium hunc bonae spei & indolis ex  
hac mortalitate ereptum esse, ut fructus pietate & fiducia sua in *DEUM* maxime dignos  
in beata ac aeterna sede perciperet, in suavissimo Angelorum & sanctorum consortio ea  
plenius addiceret, quae in hac vita percipere & intelligere non valuit. Confirmet & eri-  
gat idem supremus rerum Arbitrator animum Tuum, *Patrone Maxime*, multo dolore ac tristitia  
confectum, ut multi casus tristiores, quos brevi tempore expertus es, Tuam fenis constantiam non  
superent, sed ipse semper invictus maneat, & fatorum acerbitati ea, qua soles, patientia ac tole-  
rantia resistas. Corrobores corporis Tui vires, qui omnia potest, & nova subinde incrementa iis  
addat, ut nulla, quae senes premunt, incommoda sentias, multosque adhuc annos inter mortales  
vivas, ut afflictis patriae rebus Tuis consiliis succurrere, Gymnasiis nostri principalis  
curam in posterum agere, & familiae Tuae splendorem ad-  
feros usque posteris transmit-  
tere queas.



MC

F. K. 87.

Zc  
12/13

# EPISTOLA

QUA DOLOREM  
PERILLUSTRIS EXCELLENTISSIMI AC  
GENEROSISSIMI

# DOMINI WOLF. GOTT- HARD BIRCKHOLTZ

*DYNASTAE CLIENTELAE MARSCHVITZ*  
POTENTISS. POLON. REGIS ET ELECTOR. SAXON.  
CONSILIARII ET CURIAE PROVINCIALIS MISNENSIS QUAE  
WURCENAE EST CANCELLARII GRAVISSIMI SCHO-  
LAE PROVINCIALIS GRIMENSIS EPHORI  
SPLENDIDISSIMI

*DE OBITU PRAEMATURO*  
GENEROSI OMNIBUSQUE INGENII ET VIRTUTIS ORNAMEN-  
TIS PRAEDIINEPOTIS

# JOANN. CAROLI GUSTAVI A KIRCHBACH

*FERIA I. PENTECOSTES MDCCXXIV. GRIMAE PLACIDE DEFUNCTI  
CONCEPTUM*

*SOLATIO LEVARE CONTENDIT*

M. HENRICUS AUGUSTUS SCHUMACHERUS

GYMNAS. GRIMENSIS CON-RECTOR.

GRIMAE LITERIS CHRISTIANI VOGELII

